Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-695476-p0001-5

4684.

1782, 6.

de Winckler.

ORDINARIVS
SENIOR CAETERIQVE DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN
ILLVSTRISSIMI DOMINI
HENRICI ERNESTI S. R. I. COMITIS DYNASTAE
A SCHOENBVRG
PVBLICE TESTANTVR.

INEST
COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS
OCTAVVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-695476-p0003-6

COROLLARIVM OCTAVVM
DE DOLOSE IMPETRATO EX CAVSA MALITIOSAE DESERTIONIS DIVORTIO.

Quemadmodum malitiosa desertio pro iusta diuortii causa omnino reputanda, id quod iuri cum diuino, *1. Cor. VII. v. 15.* tum Romano, *Nov. 22. c 15. §. 2. Nov. 117. c. 8. §. 5. l. 7. l. 8. §. 3. C. de repud. l. 6. D. de diuort.* tum ecclesiastico hodierno protestantium respondet, quamuis pontificii quoad matrimonium fidelium aliter sentiant, I. H. BOEHMER *iur. eccles. protest. L. IV. t. 19. §. 18 sq. et §. 30. ill* GE. LVD. BOEHMER *iur. can. L. III. sect. 2. §. 407. sq.* et sicuti omnis causa ecclesiastica summarie tractanda est, *Clem. 2 de iudic. cap. 1. de sent. in 6to* G. H. BOEHMER *l. c. L. II. t. 1. t. 12. §. 4 sq.* KNORR *anleit. z. gerichtl. Proc L. III. c. 8. §. 1.* LVDOVICI *Einl. z. consist. Proc. c 8. §. 2.* I. ANDR. HOFFMANN *teutsch. Reichsprax. T. II. § 1363.* ESTOR *Reichsproc. P. IV. §. 87. Ord. proc. rec. in append. §. 2. cf.* GRIEBNER *ad h. l. p. 526. ex edit. ill. Küstneri.* sic modus procedendi inter malitiose desertum desertamue, et malitiose deserentem, in consistoriis receptus, fere, vt ita dicam, summariissimus est, de quo satis multa habet magnus CARPZOVIVS *Iurispr. consist. L. III. t. 5.* magnusque STRYCKIVS *de dissensu sponsal. sect. VI. §. 36. sq.*

non meliora tamen his, quae in breui aliqua commentatiuncula continentur, quam de hac re circa vſum Conſiſtorii Lipſienſis, ſcriptam ab aliquo, qui quondam iſti iudicio ab officio erat, poſſideo, non indignam, quae typis exprimatur. Ex hoc modo procedendi pauca recenſeamus, quae ad rem noſtram pertinere videntur, omnibus reliquis omiſſis. *Primum* igitur requiritur, vt pars deſerta ſub initium litis contra deſertorem vel deſertricem inſtituendae praeter alia quaedam afferenda teſtimonia etiam ipſam deſertionem factam probet, SCHILTER *iur. can. L. II. t. 12. §. 4.* et ECKARDT *ad h. l. deinde* per publicas atteſtationes fidem faciat, ſe partem abſentem in variis locis, vbi ſpes vel veriſimilitudo reperiendi fuerit, diligenter ac ſedulo quaeſiuiſſe, quod teſtimonium percontationis appellatur. Quamuis autem de cetero liberum ſit, vbicunque parti innocenti deſertorem vel deſertricem quaerere et de eo percontari, ex re videatur, tamen debet id inprimis fieri, a) in oppido vel pago, vbi deſertio facta, b) in loco, vbi natus eſt deſertor vel deſertrix, aut parentes ipſius degunt, c) in domicilio agnatorum vel cognatorum, d) in locis, vbi deſertor ſaepenumero commorari ſolitus fuit. *Denique*, quod praeprimis notandum, in vltimo poſt alteram citationem termino actor vel actrix debet iuramentum, quod dicunt diligentiae vel percontationis, praeſtare, quo Conſiſtorio confirmet, ſe abſentem omni ſtudio ac diligentia, vbicunque eum reperiri poſſe probabile ſibi viſum fuerit, perquiſiuiſſe, et inueſtigaſſe, at omnem datam operam fruſtraneam fuiſſe, hac formula: *Ich* N. *ſchwöhre zu gott dem allmechtigen hiermit einen leiblichen eyd, daſs ich allen fleiſs angewendet, meinen ehemann (mein eheweib)*

weib) auszukundschafften, dessen ungeachtet aber nicht erfahren können, wo er (sie) hingekommen, auch bis itzo nicht weiss, ob er (sie) noch am leben oder todt sey; so wahr mir gott helfe, durch Iesum Christum, seinen sohn, unsern herrn! quo iuramento, tanquam optati repudii fere vnico efficaci subsidio, praestito, pars deserta, audita diuortii definitiua sententia, plerumque laeta e consistorio discedit.

Vnusquisque videt, huic litis tractandae modo multum periculi inesse, eumque fere totum in actoris vel actricis bona fide, integritate animi et iuramenti religione poni. Quodsi enim haec cessant, saepissime accidere potest, et accidit profecto, vt, cui nunquam consilium erat, maritum vel vxorem deserendi, is eaue absque fraude et ob solam absentiam a matrimonio arceatur, quod post reditum continuare constituerat, nonnisi aut sola negligentia de litteris ad coniugem non missis delinquens, aut forte ipsa nuncii penuria destitutus. Neque est, quod respondeas, ex Consistoriorum more non solere ad hanc litem properari, verum aliquod temporis spatium inter desertionem et litis initium indulgeri, quo deserens de reditu vel saltim de scribenda ad coniugem relictam epistola cogitare possit. Hoc etenim spatium iudicis ecclesiastici arbitrio relictum, TITIVS *iure priv. L. XII. c. 18. §. 3.* interdum annus cum dimidio est, BERGER *Elect. proc. matrim. §. 50.* interdum biennium, triennium, CARPZ. *iurispr. consist. Lib. III. def. 60. no. 6. sq.* quadriennium, *arg. l. 6. D. de diuort.* CARPZ. *l. c.* BERGER. *d. l.* IOH. WINCKLER *in aduocato consist. cap. 14. §. 5.* SAM. STRYCK *disp. de malit. coniug. desert. §. 136.* vel quinquennium *arg. l. 7. C. de diuort.*

vort. atque adeo aliquando septennium et decennium, *arg. Nov. 22. c. 7. §. 8.* CARPZ. *l. c. no. 10.* BERG. *l. c.* atque ex recepta in consistorio Lipsiensi consuetudine, nisi res praesens aliud suadeat, vel annus vel octodecim menses continere solet. Quod idem b. Luthero placuit, *in opp. edit. Jen. p. 254.* dicenti: *kömmt er alsdenn nicht, so soll er nimmermehr kommen;* et approbatum est rescripto electorali Saxonico anno 1608. ad singula consistoria dato, quod BERGERVS et CARPZOVIVS *ll. cc.* exhibent. At vero semestre spatium quod BEYERVS et CARPZ. *l. c. def. 60* cum SCHILTERO *Inst. iur. can. L. II. t. 13. §. 4.* admittunt, vix sufficere videtur; etsi quam maxime verendum sit, vt solus annorum absentiae numerus aut praesumtionem malitiosae desertionis ex parte absentis efficere, aut libidinem praesentis coniugis, iugum connubii nunc fastidiosi depellendi, coercere possit. Non negamus quidem, absentem coniugem in culpa esse, quod, vbi degat, relictae non notum faciat, attamen nemo facile ex sola culpa condemnabitur, nedum ea ad dirimendum matrimonium efficax esse poterit, quippe quod soli malitiosae desertioni ipsi tribuendum. Etenim non ob quamuis desertionem locus est diuortio, sed ob malitiosam, h. e. violandae fidei coniugalis causa susceptam, GE. LVDW. BOEHMER, *Jur. can. §. 409.* Nec diffiteor, fieri posse, vt, etiamsi absentis domicilium cognitum sit, tamen matrimonium ex causa malitiosae desertionis, aut potius ob praefractam debiti coniugalis denegationem separetur, nempe si nullo modo ad redeundum cogi queat I. H. BOEHMER *iur. eccl. L. IV. t. 19. §. 30.* At vero de ea specie hic non loquimur, nec amicitiae tentamina omittenda

tenda forent, verum de eo dicimus, quando matrimonium in contumaciam rei, cuius domicilium ignoratur, dissolvi debet. In eiusmodi igitur lite, quo rarius rei de eo quod domi sit, quicquam comperiuntur, eo magis necesse fuit, vt iudiciorum obseruantia fere omnia in actoris vel actricis probitate poneret, fideque ab ipsis data.

At profecto eo maius etiam crimen putabitur, hanc fidem fallere. Vt itaque ad ipsam rem veniamus, istud delictum, de quo dicimus, tunc committitur, si quis vel actor vel actrix in lite, contra malitiose deserentem coniugem instituta, mala fide agit, vel veritatem dissimulando, vel falsa fingendo, aut, vt distinctius dicamus: quando sciens vel suspicans, vbi desertor vel desertrix degat, id consistorio studio celat, aut saltim in inuestigando rei domicilio non omnem operam, quam poterat impendere, impendit, et nihilominus consistorio se diligenter in ea re versatum esse dicit, idque iuramento confirmat, hisque omnibus eo consilio, vt matrimonii dissolutionem eo facilius consequeretur. Hoc itaque crimen, modo circumscriptum, perpetratur aut ab initio litis, aut in progressu, aut circa finem, tandem plerumque finita lite nouo delicto augetur. Inprimis autem committitur *sub initium litis* et circa praeparationem. Testimonia exiguntur, vt supra vidimus, cum ipsius desertionis, tum percontationis a coniuge deserta factae. Si quis igitur in his conquirendis et consistorio offerendis mala fide agat, huius de quo dicimus, criminis reus fiet. Fac itaque, actorem iudici seculari, testimonium desertionis consistorio offerendum ferenti, falsos testes subornare, qui dicant, se vidisse coniugem fugam capere, fac, eundem actorem alius iudicis ministrum,

qui

qui an praesens sit desertor, in hoc vel illo loco percontari iussus sit, vt vel plane non, vel non satis diligenter quaerat, corrumpere, fac, eundem actorem vtrique iudici falsum nomen absentis subornare, nonne hic, si acceptis et oblatis hoc modo testimoniis diuortium impetraverit, id dolose impetrasse censendus est? Sed haec forte rarius eueniunt. Frequentius fieri solet, vt processum malitiosae desertionis instituturus, cupiens et sperans molesto hactenus coniugio liberatum iri, et mox ad dulcius ac amabilius conuolare licere, omni ratione ea, quae excogitato illi fini, speratisque dulcibus secundis nuptiis aduersari possint, sedulo arceat, celet, deprimat, sileat, eaque de causa maritum desertorem vxoremue desertricem non in locis vbi eum eamue commorari vel sciat, vel opinetur aut suspicetur, neque in iis, in quibus eos deprehensum iri, probabile sit, locis, nec denique in iis, ex quibus forte aliqua notitia vel de domicilio desertricis ad actorem vel de mota nunc lite ad ipsum deferentem peruenire posse videatur, verum dolose et rei, de qua agitur, absenti celandae causa, ab aliarum, forte dissitarum ciuitatum vel pagorum magistratibus, vbi de hoc, qui quaeritur, homine nec fando quicquam auditum, testimonia percontationis petat. Hunc in primordio litis aut potius in praeparatione processus desertorii dolum, quouis pignore contendimus frequentius committi, quam vulgo creditur, quem adeo plerumque actor necessarium ad fallendum consistorium putat, et ad eo facilius impetrandam edictalem citationem, quae alias ordinaria, interdum etiam realis foret, si vbi absens degat, in comperto sit, LVDOVICI *Consist. Proc. c. 10. §. 10.* Hoc delicto non minus illud putandum est, quando idem actor acceptam forte *in progressu*

greſſu litis de abſentis domicilio notitiam non ſolum conſiſtorio celat, ſed etiam ipſe nihilominus *ſub finem* iuramentum diligentiae praeſtat, ſecutis *poſt litem* plerumque nouis nuptiis.

Ex his intelligitur, vni huic crimini, de quo agimus *quinque* delicta ineſſe, 1) falſum, 2) mendacium iudici eccleſiaſtico factum, 3) inductionem eiusdem conſiſtorii, 4) periurium, et 5) initis poſtea nouis nuptiis quaſi-bigamiam et quaſi-adulterium. Et quod ad primum quidem attinet, notum eſt, *falſum* dici doloſam veritatis immutationem vel ſuppreſſionem, quae in alterius damnum vergat, *Nov. 73. pr.* STRVV. *S. J. C. ex. 49. §. 69.* CARPZ. *pr. crim. qv. 93. no. 4.* BERGER *Elect. crim. membr. 2. §. 1.* quam definitionem etſi LEYSERVS *med. ad pand. ſp. 615.* labefactare conetur, tamen cel. GE. LVD. BOEHMER *ad l. c. Carpzouii obſ. 1.* bene defendit. Immutatio et ſuppreſſio veritatis vna eademque eſt, cum qui huic caput efferre prohibet, eo ipſo falſum pro vero venditat, adeoque iſtam immutat. Inprimis vero falſum committunt auctore PAVLO *l. 16. §. 2. D. ad L. Corn. de falſ.* qui, vt verum non appareat, aliquid celant. Non igitur ambigi poteſt, eum falſum committere, qui malo conſilio eiusmodi teſtimonia in conſiſtorio producit, quae id non probant, quod probare, ſi bona fide agere velit, debebat, vel qui dolo omittit ea teſtimonia comparare, per quae veritas poſſit in lucem proueh', ac loco eorum talia affert, quibus iudicis oculos falſi apparentia occoecaret, verbo, qui non vera pro veris ſciens venditat.

Mendacium cum per ſe illicitum ſit, CARPZ. *pr. crim. L. II. qv. 93. no. 9.* LEYSER *Med. ad Pand. ſp. 614. med. 5.*

RECHENBERG *progr. de mendacio, quod in foro hum. pun.* multo magis puniendum erit, et quotidie punitur, si quis iudici, cui singuli, qui ei subsunt, vera dicere obstricti sunt, mentiatur. Quodsi enim mentiendo erga eum priuatum, cui aliquod ius est, verum sciendi, falsum committitur, LEYSER *l. c. med. 6.* multo magis is peccabit, qui iudici publice mendacium dicit, cui in omnibus parere debet, nedum, si veritatem interrogat.

Vnde, qui etsi sciens, vbi facta desertione absens degat, tamen in actione desertoria instituta, se nescire, dicat, peccat erga consistorium, sed magis adhuc peccat, dum hunc iudicem ecclesiasticum, cuius erat, in tollendo matrimonii vinculo perquam difficilem esse, et vti in *capitulo 11. caus. 30. qv. 5.* de singulis iudicibus dicitur, omnia rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, imprimis vero non nisi verum desertorem ob contumaciam condemnare, a veritate auertit, atque eo *inducit*, vt actori temere credens, matrimonium absque iusta causa soluat. Etenim quo magis actus iudicum auctoritate gesti praesumtionem veritatis operantur, I. H. BOEHMER *Consult. for. T. II. p. 2. resp. 868. no. 40.* atque omnis iudex sanctus et parentis loco habendus est, *ID. ib. resp. 1094. no. 10.* eo magis profecto is delinquet, qui ipsum fallit, ac facit, vt, qui veritatem opprimere et ex falso lucrum capere studet, ei quamuis inscius opem ferre necesse habeat.

Porro ei, de quo agimus, delicto, omnium maximum *periurii* inest, quod quidam mendacium iureiurando confirmatum dicunt, *caus. XXII. qv. 2. cap. 2. §. 1.* MATH. STEPH. *ad Const. crim. art. 107.* Hoc crimen inter pauca grauissimum habendum et non solum iam Aegyptiis propterea atrocissimum

ciſſimum viſum, quod et pietatem erga Deum et fidem erga homines tolleret, DIOD. *Sic. L. I. c. 6.* ſed etiam nec a Graecis, HARMENOP. *promt. l. 7.* nec a Romanis ſemper impunitum relictum, *L. 41. C. de transact. l. 17. C. de dignit. l. 2. C. de indict. viduit. cf.* A. F. RIVINVS *diſp. de poena periurii*, PÜTTMANN *elem. iur. crim. §. 113.* a Carolo V. denique *conſt. crim. art. 7.* et legislatoribus Saxonicis, *Ord. polit. de a. 1661. T. IV.* ſeuere coercitum. Cum vero modo nominata lex Saxonica differentiam inter periurium culpoſum et doloſum conſtituat, ſingulari reſcripto d. 4. Oct. 1768. ad Ordinem noſtrum dato, repetitam, quis dubitet, inter poſterioris claſſis peierantes eum eſſe referendum, qui quamuis ſciat, aut ſuſpicetur, aut, ſi velit, facile comperiri poſſit, vbi coniux abſens degat, nihilominus ſolenniter inuocato nomine diuiuo, iurat, ſe poſt diligenter operam datam, neque ſcire neque comperiri poſſe, vbi reus vel rea nunc commoretur, omnemque adeo religionem contemnit.

Tandem cum plerique eorum, qui ſic fefellere iudicem eccleſiaſticum, et malis artibus ipſoque periurii pretio diuortium impetrarunt, non diu ſoleant expectare, donec fructum criminis ſui, forte mox detegendi, capiant, eaque de cauſa vt plurimum celerrime ad nouas nuptias properant, quintum accedit delictum, nempe, quemadmodum nobis appellare liceat, *quaſi-bigamiae*, cum noua *quaſi-adulterii* ſpecie coniunctum. Quamuis enim illa pontificis vana opinio, ſententiam contra matrimonium latam vires rei iudicatae non conſequi, *cap. 8. et 11. X. de ſentent. et re iud.* in iudiciis proteſtantium diu exploſa ſit, I. H. BOEHMER *J. E. prot. L. II. t. 27. §. 43.* C. F. WINCKLER *diſp. de nimio cauſar. ma-*

trim. fauvre, tamen is mihi non videtur bona conſcientia ac ſine dolo ad ſecundas nuptias properare, qui ſciat, ſe iniuſte et fraudulenter, ac nonniſi per inductionem iudicis eccleſiaſtici, atque adeo praeſtito demum periurio, a primo coniugio liberatum eſſe. Aut potius non eſt liberatus, quia ſententia, mala fraude elicita, et ex falſa cauſa lata non tranſit in rem iudicatam, I. H. BOEHMER *l. c.* §. 37. praeprimis, ſi falſis teſtimoniis iudicis religio circumuenta ſit, *l. 33. D. de re iud. l. 3. l. 4. C. ſi ex falſ. inſtrum.* LAVTERBACH. *coll. Pand. L. XLII. t. 1. §. 18.* Quemadmodum igitur vere deſertus vel deſerta haud inſtituta actione deſertoria nouas nuptias contrahentes, nihilominus bigamiam committunt, quamvis mitiori forte poena coercendi, CARPZ. *pr. crim. qu. 66. no. 60.* et G. L. BOEHMER *ad. h. l. obſ. VI. et VIII.* ſic etiam is bigamus erit, qui nouas nuptias contrahit, iſta lite quidem ſuſcepta, ſed per dolum ac fraudem ſuſcepta, dum ſciat, vel facili modo comperere queat, vbi coniux degat, adeoque in poteſtate habeat, facere, vt omnis deſertio ceſſet, inſinuata nempe ipſi citatione, et implorato iudice, vt eum ad redeundum et continuandum matrimonium excitet atque cogat. Profecto eiusmodi hominem ab omni bigamiae crimine haud abſoluemus, quo clarius ac certius non ſolum conſtitutio criminalis *art. 105.* ſed etiam Saxonica *XX. P. IV.* in vniverſum eos bigamos dicit, qui quaeue, ſciens coniugem viuere, alium aliamue ei ſuperinduxerit, et quo verius eſt, matrimonium ex cauſa malitioſae deſertionis per ſententiam iudicis eccleſiaſtici nonniſi *praeuio legitimo proceſſu* diſſolui, WERNHER. *P. I. obſ. 204 no. 45.* quae eſt conſtans praxis hodierna. Nam etſi WERNHERVS mox *§. 86. ſq.*

aliam

aliam sententiam foueat, ac dissolutionem matrimonii in ipso desertionis momento ponat, tamen non solum mox §. 94. concedit, nemini potestatem ad nouas eundi nuptias dandam, nisi eius desertione per magistratus sententiam declarata, sed etiam sibi ipse contrarius videtur, dum *in supplemento ad hanc obs. §. 2. sq.* dicit, per sententiam, quae, praeuio legitimo malitiosae desertionis processu, aduersus desertorem pronuncietur, *statim* matrimonium ex vtraque parte dissolui. Quamquam igitur eiusmodi fraudulentus actor per impetratum furtim diuortium forte id consecutus fuerit, vt ordinaria poena affici non possit, semper tamen bigamus, vel quasibigamus manebit. Neque dubitamus, coniugem innocentem, quamuis eiusmodi diuortio facto, tamen audiendum esse, si redeat, atque ob non seruatum in percontatione iuris ordinem, adhibitam partis aduersae fraudem, et inductum deceptumque consistorium, sententiae nouique connubii retractationem postulet.

Ex his omnibus satis etiam de poena criminis, de quo in hac scriptiuncula dicimus, iudicare liceat, scilicet, cum ei nulla certa legibus constituta sit, relinquitur, eam arbitrio iudicis esse determinandam. Videtur autem pro re nata vel carcer, isque non adeo breuis, vel temporaria relegatio aut perpetua etiam, inprimis si quasi-bigamia accesserit, aut, quae his coercitiones in Saxonia electorali substitui solent, dictari.

Eiusmodi exemplum ex superiori seculo habemus apud ANDR. BEYERVM *in additionibus ad Carpz. iurisprud. eccles. def. 58.* quo vxor quaedam coram consistorio supremo Dresdensi litem ob malitiosam desertionem aduersus maritum instituerat, et praeuia edictali citatione,

praestitoque actricis iuramento: se, vbi maritus degat, nescire, in contumaciam rei ab eius connubio absoluebatur; at quoniam iudex compertus erat, eam adeo durante desertionis lite maritum adiisse, eique debitum coniugale praestitisse, praecedente processu inquisitionis relegatione decem annorum punita est. Aliud exemplum non ita pridem occurrit, cum quidam M. ex cohorte militari eius ordinis, quem ad superiores referunt, in Saxonia commorans post vxoris, quam ante aliquot annos ex ciuitate Wetzlarensi duxerat, discessum, eam malitiosae desertionis ream coram consistorio Lipsiensi fecerat, et productis non ex dicta vrbe, nec ex iis locis, vbi notitiam de ea accipere potuisset, sed ex ciuitate Würzburgensi aliisque locis vbi omnino incognita erat, per contationis testimoniis, ac emissa citatione edictali, praestito denique diligentiae iuramento, diuortium speratum impetrauerat, mox vero nouas cum noua nupta nuptias contrahens, redeunte priori vxore et fraudem mariti vrgente, ad operas per duos annos in ergastulo faciendas a ICtis Vitebergensibus condemnatus est, propterea haud dubie tam leui poena, quia sententia plerumque praesumtionibus niteretur. Igitur Ordo noster confirmauit. Juuat, vtriusque collegii rationes, cum ex iis res, de qua agimus, haud leuiter illustrari posse videatur, addere.

Sic igitur Vitebergenses: *Dieweil inquisit C. C. M. daſs er bereits im iahre 1771. als er in Wetzlar geweſen, daſs ſeine von ihm geſchiedene ehefrau, gebohrne Büſserin, am nurgedachten orte gebohren worden, in erfahrung gebracht, eingeräumet, ſowohl aus dem was er art. inqv. 94. ſeqv. ingleichen fol. 229. eingeſtanden, daſs er zu verſchiedenen malen ſich in Wetzlar befun-*

befunden, und einige anverwandte von seiner geschiedenen ehefrauen daselbst besuchet, letztere auch im iahre 1771. zu Frankfurth am Mayn sich bey ihm eingefunden, und alda mit ihm eine unterredung gehalten, sich zu tage leget, hiernächst er, dass ihm I. G. R. welcher bereits im september 1771. verstorben, einen von seiner vormaligen ehefrauen geschriebenen brief zu lesen gegeben, abzuleugnen nicht vermocht, er auch den fol. 43b sub no. 4. derer consistorial acten befindlichen brief recognosciret, nicht weniger das postamt zu S. dass er bey seinem aufenthalt in L. öfters briefe an mehrbemeldte seine geschiedene ehefrau nach Wetzlar mit der aufschrift: a Madame la Lieutenant *M. née Büsserin bey dasiger post zur übersendung theils selbst überbracht, theils aber durch bothen daselbst abgeben lassen, attestiret, gleichwohl aber er in der fol. 1. seqq. derer consist. acten eingereichten klage vorgegeben, dass er seit dem iahr 1764. da seine ehefrau von ihm heimlich weggegangen, von ihren aufenthalt, leben oder tod nicht das geringste in erfahrung bringen können, auch* sec. *fol. 27b d. act. am 11. Oct. 1777. dass er allen fleis angewendet, sein eheweib S. C. M. geb. Böfin auszukundschaften, demohngeachtet aber nicht erfahren können, wo sie hingekommen, auch bis jetzo nicht wisse, ob sie noch am leben oder todt sey, würklich geschworen.* Nos vero, quamuis inquisitus in defensione inter alia, ex facto depromta, et hoc allegaret, se per iuramentum diligentiae non iurasse, quod nihil omnino de vxoris desertricis domicilio, inprimis lite pendente, compererit, sed tantum hoc, suam ipsius percontationem factam, et per testi-

monia

monia iudicum consistorio comprobatam, hunc effectum non habuisse, tamen, quoniam haec manifesta cauillatio esset, eum dignum poena ipsi dictata putabamus, his ceterum, quoad ipsam rem, vsi argumentis, ex quibus, eum in impetrando diuortio summo dolo egisse, appareret: *D. a. u. d. inquisit, wasmaassen seines eheweibes geburths ort Wetzlar gewesen und dass sie sich daselbst sehr öfters aufgehalten auch an besagten orte anverwandte habe, wohl gewusst, angesehen er nach seinem eigenen bekändtnisse mit ihr, als des dasigen stadtphysici D. Büssers tochter, zuerst bekannt worden, sie aber von daher zu ihm nach H. alwo sie sich mit ihm trauen lassen, auch einige zeit darauf, weil sie unter denen französischen truppen nicht länger bey ihm seyn können, wiederum nach Wetzlar gegangen, er auch nachhero eben dahin an sie geschrieben und ihr geld geschickt, sowohl, nachdem selbige anderweit von Wetzlar zu ihm gekommen, er selbige wiedernm dahin geschaffet u. selbst drey tage daselbst geblieben, zu anderer zeit inhalts des attestats aus dem postamte zu S. an selbige nach Wetzlar mit der aufschrift einer gebohrnen Büsserin, insonderheit aber den fol. 34. Act. Conf. in abschrift befindlichen brief geschrieben ferner im iahr* 1771. *u. also nach ihrer entweichung abermals, nachdem er sie kurz vorher in Frankfurth am Mayn gesprochen, nach Wetzlar, um sich nach seiner frauen aufführung zu erkundigen, gereiset u. daselbst so gar ihre alda wohnende schwester und ihren vetter den H. B. gesprochen, dahingegen inquisit sein vorgeben, als ob er damaln zu Wetzlar den wegzug seines eheweibes von*

da

da nach Würzburg erfahren, mit nicht dem geringſten beſcheiniget; annächſt der brief fol. 3. Vol. 1 *allererſt nach vorlängſt geendigten deſertions proceſſe eingegangen; aus welchen allen denn beynahe mit gewisheit ſich ergiebet, daſs, wenn inquiſit bey dem wider ſein eheweib angeſtellten deſertionsproceſſe dieſelbe eine gebohrne Büſſerin aus Wetzlar gebürtig, ſowohl, als er ſelbige in Würzburg aufzuſuchen gebeten, ſie ebenfals nicht mit dem rechten nahmen benennet, vielmehr ſelbige für die tochter eines Hofrath Böſens ausgegeben, beſonders aber bey dieſer gelegenheit nach ihr in Wetzlar zu fragen unterlaſſen, er dieſes alles aus gefahrde, u. in der abſicht, um die eheſcheidung zu erſchleichen, gethan, wodurch er denn nicht allein den eherichter hintergangen, ſondern auch eines* falſi *und durch das abgelegte* iuramentum diligentiae *eines meineydes ſich ſchuldig gemacht, nicht minder dieſe ſeine verbrechen annoch vermehret, indem er, der von der unrechtmäſsigkeit ſeiner eheſcheidung ihm beiwohnenen wiſſenſchaft ungeachtet, bald darauf zur andern ehe geſchritten.*

Hic igitur delinquens, dolo impetrati diuortii accuſatus, hodie multos eiusdem delicti ſocios habere nobis videtur, quippe quod frequentius eſſe ſuſpicamur, quam quis cogitet, neque dubitamus, multa matrimonia adhuc perſtitura eſſe, nunc publica auctoritate rupta, ſi actores vel actrices in eiusmodi lite inſtituta magis ex bona fide agerent; quod eo magis pernicioſum reip: putamus, quo rarius et nonniſi ob veras, legibus approbatas

batas causas fieri debet, vt matrimonia sub lege indiuiduae vitae consuetudinis, videnteet approbante ecclesia, contracta, dissoluantur. Quamuis enim Protestantes doctrinam canonistarum de matrimonio nunquam dirimendo non agnoscant, tamen prudentissime iuris ecclesiastici doctores in eo consentiunt, connubia in regula esse indissolubilia, I. H. BOEHMER *J. eccl. prot. L. IV. t. 19. §. 2.* BRVNNEM. *J. eccl. L. II. c. 17. §. 1.* STRYCKIVS *ad h. l.* ID. *de dissensu sponsal. Sect. VI. §. 1.* CARPZ. *Jurispr. conf. L. II. def. 189.* seu, quod idem, dissolui quidem posse, sed rarius, non frequentius, neque ex alia quam iusta causa.

Animus erat, huic malo aliquam medicinam addere, sed spatio plagularum deficiente, eam in aliud tempus differre cogimur. Jam enim nominandus est, qui, etsi nondum verum, arctissimum tamen cum litteris connubium fecit, a quo ipsum nunquam diuortium facturum nec amabilem Themidem desertum esse, certo confidimus

ILLVSTRISIMVS DOMINVS

HENRICVS ERNESTVS

S. R. I. COMES, DYNASTA DE SCHOENBVRG

qui nec primus in splendissimam gentem litteras ac iurisprudentiam intulit, nec primus acceptae eius in hac acade-

academia publicum testimonium accepit. Habet enim maiorum, habet agnatorum non vnum, praeter cetera merita, litterarum studio et iurisscientiae acquisitae amplitudine insignem, et partim ea ipsa in publicis muneribus splendentem. Intra non multos annos Noster tertius fuit, qui nulla necessitate cogente, sola laudis cupiditate ductus, a nobis, vt in studia eius inquireremus, peteret, par anteceſſoribus et in eo factus, vt instituto examine, propositis ipsi interrogationibus respondendo sic satis faceret, vti ab iis expectare solemus, quibus animus est, superiorem cathedram ascendere, quapropter etiam ipsi hanc potestatem, si ea vti velit, ob insignem eius doctrinam communi suffragio dedimus. Tota eius vita laudabilis est, quam ecce enarremus.

Natus est Rochsburgi die XXVIII. Apr. Anni MDCCLX, patre HENRICO ERNESTO, S. R. I. Comite, Dynastа a Schoenburg, in Glaucha et Waldenburg, vt et comitatus inferioris Hartensteinensis, Domino Clientelarum Lichtenstein et Stein; matre MAGDALENA LOVISA e liberorum Baronum AB ELSTERN familia. Quorum optimorum parentum sollicita in eo educando cura factum est, vt in omnibus iis, quibus puerilis aetas imbui solet, mature erudiretur. Tradiderunt ipsum praeceptori-

bus domesticis SENSENSCHMIDIO, REICHELIO et WIMMERO, qui puerum religionis et litterarum elementa bono cum successu docerent. At vero cum in eo esset, vt ad Academiam Lipsiensem accedere vellet, repentina morte ipsi eripiebatur indulgentissimus pater, cuius obitum, dum viuet se lugiturum profitetur. Nunc omnem educandi curam mater carissima, quam sibi adhuc superstitem esse vehementer gaudet, cuiusque singularem benignitatem tota vita se gratissima memoria prosecuturum esse spondet, in se suscepit. Haec igitur ipsum comite WIMMERO, de ipso, vt ingenue profitetur, valde merente, nunc Pastore Burgstadiensi, ad hanc litterarum Vniuersitatem misit, vbi an. MDCCLXXVIII Rectore AVG. GVIL. ERNESTIO, in ciuium academicorum numerum, relatus est. Hic ECCIVM, qui ipsum hospitio optimo excepit, litteras, quas elegantiones vocant, docentem, et CAESAREM, omnes philosophiae partes explicantem, audiuit. Horum virorum sapientissimis consiliis in cursu academico recte instituendo se mirifice adiutum, et ab iis multis benevolentiae documentis cumulatum, gratus

sentit,

sentit. Latinae linguae elegantiam REITZIVS *et* CLODIVS, *mathemata* WITZLEBIVS, *physicam* LVDWIGIVS, *historiam et artem diplomaticam* WENKIVS *docuerunt. Ad studium iuris conuersus, in eius historia* BIENERO, *in institutionibus* SAMMETIO, *et in Pandectis* ZOLLERO *adsedit, ius canonicum, germanicum, et publicum* BIEDERMANNVS, *feudale* KINDIVS, *cambiale* ZIZMANNVS, *processum denique* ZOLLERVS *tradiderunt, quorum posterior etiam ipsum examinando,* SEGERVS *vero in ante referendi exercuit, singulis autem pro sollicita et fida institutione, maximas gratias agit. Anno praeterito publicum partae doctrinae documentum edidit, cum electus ab* ECCIO *comes disputationis* de vi poeseos in mores hominum *strenuum defensionis auxilium praeberet. Huic laudi reliquum erat, vt aliam adderet, nempe insignis doctrinae in iurisscientia a praeceptoribus partae; quod, vt supra occupauimus, optime perfecit, audientibus omnibus, qui in Ordine nostro examini cum eo instituto gaudentes assiderent, iisdemque singulis ipsum, cui munera publica crederentur, omnino et prae ceteris dignum*

iudicantibus. Quod vt et pluribus palam fieret, vtque hoc exemplum alios in gloriae similitudinem excitaret, hoc publicum testimonium decreuimus, eique vt tanto maior fides habeatur, sigillum nostrum apponi curauimus. Lipsiae die dominica Misericordias Domini anno MDCCLXXXII.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

ULB Halle
3
005 361 494

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-695476-p0027-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-695476-p0028-5

1782,6.

ORDINARIVS
SENIOR CAETERIQVE DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN
ILLVSTRISSIMI DOMINI
HENRICI ERNESTI S. R. I. COMITIS DYNASTAE
A SCHOENBVRG
PVBLICE TESTANTVR.

INEST
COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS
OCTAVVM.